

**RESPONSIO EPISCOPORUM GERMANIÆ**  
**WORMATIÆ COADUNATORUM**  
**DE FIDE SANCTÆ TRINITATIS**  
**CONTRA GRÆCORUM HÆRESIM**

(Ex codice ms. Vindob., *Hist. eccles.*; apud Neutgard., Const. Episc.)

Omnis ecclesiastica disciplina in individua Trinitatis fide est ab omnibus salubriter credenda, ut cœlestium dignitatum concordia semper et ubique maneat in cunctis gentibus una. Sed quia Michaellem et Basilium imperatores Græcorum cum suis fautoribus ab hac catholica fide audivimus in aliquibus causis immoderate exorbitasse, necessarium ducimus ut quod ad unitatem concordia et ad custodiam pertinet cœlestis disciplina nulla negligatur nec violetur dissensione, neque turbetur concertatione, ut firma possit consistere compago et unitas fidei nostræ. Scimus etenim sanctissimos Patres atque doctores nostros per gravissimos hostilitatis incursus multas hæreticorum blasphemias pro pace et unitate sanctæ Dei Ecclesiæ divina falce prudenter reseccasse et omnes unanimiter in individua Trinitatis fide credenda perseverasse.

Unde ex eorum plurima multitudine eligamus unum qui blasphemias prædictorum imperatorum divinis conterat assertionibus. Quoniam si Veteris et Novi Testamenti et omnium doctorum auctoritates contra hæc assumpserit, et copia magnitudinem excedet, et fastidium prolixitas legentibus et audientibus gignet. Ergo quia memorati hæretici Spiritum sanctum non a Filio sed a Patre solummodo procedere ausi sunt dicere, monstrandum est quid proprium, quid communiter Pater et Filius et Spiritus sanctus in individua Trinitate habent, et quomodo ab utroque Spiritus sanctus veridice et æternaliter procedit, et quomodo ipsa sancta Trinitas inseparabilis existit. Designandum est etiam, eam simul operari cuncta et esse cœternam, et Patrem et Filium, a quibus procedit Spiritus sanctus, unius ejusdemque substantiæ existere. Et quod unus et solus et verus Deus est ipsa sancta Trinitas, et quod Spiritus sanctus Patri et Filio æqualis accipitur, et utriusque Spiritus dicitur, et charitatis nomine intelligitur: et cum rectissime Spiritus sanctus sit Deus, vocetur donum Dei, et quomodo ipsa sancta Trinitas nec confusa nec separata, nec locorum vel finito vel infinito spatio contineatur, nec temporum vel finito vel infinito volumine variatur.

Augustinus in libro de Verbis Domini in Evangelio secundum Matthæum (*serm.* 61): *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro*: « Ideo, inquit, remissio peccatorum, per quam in se non divisus spiritus evertitur et expellitur regnum. Ideo societas unitatis Ecclesiæ Dei extra quæ non fit ipsa remissio peccatorum tanquam proprium opus est sancti Spiritus, Patre sane et Filio cooperantibus, quia societas est quodammodo Patris et Filii ipse Spiritus sanctus. Nam Pater non communiter habetur Pater a Filio et Spiritu sancto, quia non est Pater amborum, et Filius non communiter habetur Filius a Patre et Spiritu sancto, quia non est Filius amborum, Spiritus autem sanctus communiter habetur a Patre et Filio, quia Spiritus est unus amborum. Quod autem ipse sit Spiritus Patris, ipse Filius dicit: *de Patre procedit*; et alio loco: *Non enim vos estis qui loqui-*

*mini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Quod vero ipse sit Spiritus Filii Apostolus dicit: *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater*; hoc est, clamare facientem. *Et in hoc cognoscimus, sicut dicit apostolus Joannes, quoniam Christus manet in nobis de Spiritu sancto quem dedit nobis; ipse Spiritus testimonium reddet spiritui nostro quia sumus filii Dei.* Unde scriptum est: *Si qua igitur exhortatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus.* » Et Paulo supra: « Neque enim habitat in quoquam Spiritus sanctus sine Patre et Filio, nec Filius sine Patre et Spiritu sancto, nec sine illis Pater. Inseparabilis est quippe habitatio, quorum est inseparabilis operatio. » Hinc in eodem libro in Evangelio secundum Joannem, de una Trinitate trinaque unitate idem Augustinus dicit: « Ipsa enim fide rectissime, ac robustissime retinemus, Patrem, Filium, Spiritum sanctum inseparabilem esse Trinitatem, unum Deum non tres deos ita tamen unum Deum, ut Filius non sit Pater, ut Pater non sit Filius, ut Spiritus sanctus nec Pater sit Filius, sed Patris et Filii Spiritus. Hanc ineffabilem Divinitatem apud seipsam manentem omnia innovantem, creantem, recreantem, mittentem, revocantem, indicantem, liberantem. »

Hanc ergo Trinitatem ineffabilem simul novimus, ut inseparabilem et inseparabiliter eam pateat cuncta operari. Paulo post in eodem Evangelio Augustinus ait: « Occurrit itaque quæstio, quam in nomine Domini et ejus voluntate solvendam suscepimus. Nihil facit Pater sine Filio, et nihil Filius sine Patre. Filius quidem, inquit, non Pater, de virgine Maria natus, sed ipsam nativitatem Filii, non Patris, de virgine Maria et Pater et Filius operatus est. Non est quidem passus Pater, sed Filius, passionem tamen Filii et Pater et Filius operatus est. Non resurrexit Pater, sed Filius. Resurrectionem tamen Filii et Pater et Filius operatus est. » Ac deinceps quia Pater nativitatem Filii fecit, audi Apostolum: *Cum venerit plenitudo temporis, misit Deum Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* An forte movet quod dicit ex muliere? Utrumque Scriptura dicit: *et ex virgine et ex muliere.* Ex virgine: *Ece virgo in utero accipiet et pariet filium.* Ex muliere: sicut audistis non est contrarium. Proprietas enim locutionis Hebrææ mulieres non corruptas virginitate, sed feminas appellat. Habes evidentem Scripturam Geneseos, quando ipsa primo facta est, dicit: *formavit eam in mulierem.* Dicit et alio loco Scriptura: *Jubere Deum separari mulieres, quæ non cognoverunt cubile viri.* Fecit Pater nativitatem Filii, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Probavimus ergo nativitatem Filii a Patre factam, probemus et a Filio factam. Dicit enim Apostolus: *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* In hoc loco videamus nativitatem Filii ab ipso Filio factam. Fecit Pater passionem Filii, qui proprio Filio non pepercit

sed pro nobis omnibus tradidit illum; fecit et Filius passionem suam, ut Apostolus ait: *Qui me dilexit, et tradidit semetipsum pro me.* Tradidit Pater Filium, tradidit Filium seipsum. Quid fecit hic Judas, nisi peccatum? Transeamus hinc, veniamus ad resurrectionem. Operatus est Pater resurrectionem Filii, sicut dicit ipse Apostolus: *Propter hoc enim exaltavit eum, et donavit ei nomen quod est super omne nomen.* Resuscitavit ergo Pater Filium exaltando eum et excitando a mortuis. Resuscitavit Filius seipsum, ut in figura corporis manens de templo dixit: *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* Videamus itaque si Filius animam suam posuit, et ei animam suam Pater reddidit non ipse sibi. Quia Pater reddidit, psalmus dicit: *Exsuscita me et reddam illis;* et quoniam Filius animam suam posuit et resumpsit, ait: *potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam. Nemo tollet eam a me, sed ego pono eam, et iterum sumo eam.*

His vero breviter juxta sponseionem Christianæ fidei veridice et breviter prælibatis, restat ut coæternitatem sanctæ Trinitatis juxta promissionem nostram proferamus ex libris sancti Augustini in Evangelio secundum Joannem (serm. 117): *«In principio erat Verbum, loquitur dicens. Quid possumus, fratres mei, in Creatore invenire, quando in creatura nihil invenimus æternum. Inveni æternum Patrem in creatore, et inveni coæternum Filium; si autem non invenis æternum et vincunt se in tempore, sufficit, ut ad similitudinem inveniamus coævum. Coævus quotidie dicimus eos qui eandem habent mensuram temporum, non alter ab altero tempore præceditur, ambos tamen esse cœpisse quos dicimus coævus. Si potuerimus invenire coævum quod nascitur ei a quo nascitur, si possint invenire cœva duo, generans et generatus, hic invenimus cœva, ibi intelligimus coæterna. Si hic invenero genitum ex eo esse cœpisse, ex quo cœpit generator intelligimus certe Filium Dei ex eo esse non cœpisse, ex quo non cœpit generator. Ecce fortasse, fratres, invenimus aliquid in creatura, quod de alia re nascatur, et tamen ex eo tempore esse incipiat, ex quo cœpit aliud, unde nascitur. Hoc ex eo, ex quo illud cœpit, illud ex eo, ex quo illud non cœpit. Hoc ergo coævum, illud coæternum. Inveniamus itaque cœva, et de Scripturis admoneamur. Ad has similitudines legimas in Scriptura de ipsa sapientia: *Candor est enim lucis æternæ.* Dicta est *imago Patris.* Hinc capiamus similitudinem, ut inveniamus cœva, ex quibus intelligamus coæterna. Ignis enim lucem fundit: lux ab igne funditur. Attende eum, qui lucernam accendit. Non accensa lucerna nondum est ignis, nondum est et fulgor, qui ab igne exiit. Ponamus ergo ignem Patrem illius splendoris, quia jam prælocuti sumus cœva nos quærere, non coæterna. Si lucernam accendere cupio, nondum est ibi ignis, nondum est ille splendor, mox autem ut accendero, simul cum igne et splendor existit. Da mihi hic ignem sine splendore, et credo tibi Patrem fuisse sine Filio.»* Et paulo post: *«Ponamus ergo aliquid natum super aquam velut virgultum aut herbam: Nonne cum imagine sua nascitur? mox ut incipit existere, incipit cum illo existere imago ejus; non præcedit nascendo imaginem suam. Non mihi ostenditur natum esse aliquid super aquam et postea apparuisse imaginem ejus, cum illud sine imagine prius non appareret, sed nascitur cum imagine sua et simul esse incipiunt virgultum et imago ejus; nunquid non fateris imaginem esse de illo virgulto, non virgultum de imagine genitum? Ergo de illo virgulto confiteris imaginem, itaque et generans et quod genitum est simul esse cœperunt, ergo cœva sunt. Si semper virgultum, semper et imago de virgulto; quod autem de alio est, utique natum est. Potest ergo semper esse generans et semper cum illo, quod de illo natum est. Ergo Filius Dei secundum hoc dicitur, quod Pater est, quod habet de quo sit, non secundum quod prior est Pater et postea*

A Filius. Semper Pater, semper Filius de Patre. Et quia quidquid de aliquo est natum est; semper igitur Filius natus, semper Pater, semper de illo imago. Quomodo imago illa virgulti de virgulto nata est, et si semper virgultum semper nata est et imago de virgulto. Non potuisti invenire coæterna genita æternis genitoribus, et invenisti cœva nata temporalibus gignentibus. Intellige coæternum Filium natum æterno gignenti. Quod enim est temporali coævum, hoc est æterno coæternum.»

B Hic jam modicum est quod advertatis, fratres, propter blasphemias. Hinc in epistola ad Consentium idem doctor scribit: *«Manifestum est enim quod Verbum Dei Filium Dei unicum accepimus. Unde et evangelista inquit: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et iterum: et Verbum caro factum est, propter nativitatem Filii incarnationis ejus, quæ facta est in tempore ex Virgine. In eo autem declarat, non tantum Deum esse, sed etiam ejusdem cum Patre substantiæ: quia tum dixisset: Deus erat Verbum, hoc erat, inquit, in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: neque enim dicit omnia, nisi quæ facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido apparet ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia, et si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia, quæ Deus non est, creatura est, et quæ creatura non est, Deus est. Et si non est Filius ejusdem substantiæ, cujus Pater, ergo facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At si omnia per ipsum facta sunt, unius igitur ejusdemque cum Patre substantiæ est, et ideo non tantum Deus, sed et verus Deus. Quod idem Joannes apertissime in Epistola sua dicit: *Scimus, quod Filius Dei venerit et dederit nobis intellectum, ut cognoscamus verum et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æternæ.* Hinc etiam consequenter intelligitur, non tantummodo de Patre dixisse apostolum Paulum, *qui solus habet immortalitatem*, sed de uno et solo Deo, quod est ipsa Trinitas; et post pauca, *ut serves*, inquit Apostolus, *mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi, quem temporibus propriis ostendet beatus et solus potens rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, cui est honor et gloria in S. S.* In quibus verbis nec Pater proprie nominatus est nec Filius, nec Spiritus sanctus, sed beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, quod est unus et solus et verus Deus ipsa Trinitas.*

C Nunc coæternitatem atque unam eandemque substantiam Patris et Filii et Spiritus sancti in sancta et individua Trinitate, ipso Deo largiente, pro sensus capacitate exposuimus; proferamus etiam in ipso uno solo ac vero Deo, quomodo Spiritus sanctus Patri et Filio æqualis accipitur et utriusque Spiritus Deus et charitatis nomine intelligitur, et cum Spiritus sanctus sit Deus cur donum Dei vocatur, quia ratio frequenter iterata patescit evidentius, Augustinus in libro de Civitate Dei sexto, titulo nono, ex Domini testimonio, et Patrem unum verum Deum dicimus, et Filium unum verum Deum, et Spiritum sanctum, id est simul ipsam sanctam Trinitatem, non tres veros deos sed unum verum Deum. An quoniam addidit: *et quem misisti Jesum Christum*, subaudiendum est, unum Deum verum? et ordo verborum est, ut et te, et quem misisti Jesum Christum cognoscant unum verum Deum? cur ergo tacuit et de Spiritu sancto? An quoniam consequens est ut ubicunque nominatur unum, tanta pace uni adhærens, ut per hanc utrumque unum sint, jam ex hoc intelligatur etiam ipsa pax, quamvis non commemoretur? Nam et illo loco Apostolus videtur quasi prætermittere Spiritum sanctum, et tamen ibi intelligitur ubi ait: *Omnia vestra, vos autem Christi, Christus*

*autem Dei.* Et iterum : *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus* ; id est caput Christi Trinitas, cum in trinitate sit Christus, ut sit Trinitas. Hinc etiam dicitur de Spiritu sancto, qui Patri et Filio æqualis accipitur, et utriusque Spiritus dicitur, et charitatis nomine intelligitur, cum quælibet in Trinitate persona sit charitas. »

Ex libro de Civitate Dei quinto decimo, titulo octavo, idem Augustinus : « Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiæ cum sit universaliter et Spiritus sanctus et Pater ipsa sapientia, ita Spiritus proprie nuncupatur vocabulo charitatis cum sit et Pater et Filius universaliter charitas. Sed Dei Verbum, id est unigenitus Dei Filius aperte dictus est Dei sapientia ore apostolico, ubi ait *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. Spiritus autem sanctus ubi dictus sit charitas invenimus, si diligenter Joannis apostoli scrutemur eloquium, qui cum dixisset : *Dilectissimi, diligamus invicem, quia charitas ex Deo est, secutus adjunxit : et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscet Deum ; qui non diligit, non cognovit Deum, quia Deus charitas est* ; statim volens de hac re apertius aliquid eloqui, in hoc, inquit, *cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis*. Et apostolus Paulus : *Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis*. Dilectio igitur, quæ ex Deo est et Deus est, et proprie Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quem nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum proprie quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum. » Probandum est ergo Spiritum sanctum donum Dei esse dictum juxta verba Domini dicentis : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Porro evangelista secutus adjunxit : *Hoc autem dixit de Spiritu sancto quem accepturi erant credentes in eum* ; et apostolus Paulus : *Et omnes uno Spiritu potati sumus*. Quod vero ipsa sancta Trinitas inconfusa et inseparata, nec per tempus nec per locum moveatur, idem egregius doctor in libro octavo Geneseos ad litteram exprimit. Diximus itaque summum ipsum verum unum ac solum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Idem verum Deum Verbumque ejus et utriusque Spiritum Trinitatem ipsam neque confusam neque separatum Deum, qui solus habet immortalitatem et lucem habitat incessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, nec locorum vel finito vel infinito spatio contineri, nec temporum finito vel infinito volumine variari. Hæc est vera fides catholica, in qua lex et prophetæ ac Christi Evangelium omnesque orthodoxi doctores cunctis modis sub sacra religione concordant, sub qua ab initio usque ad finem vigendo floruit et florebit sancta Dei Ecclesia omni auctoritate cœlitus munita, quæ juste credentibus perpetuam et spiritualem adhibet medelam, incredulos vero et schismatos nisi resipiscant absque ullo remedio perpetualiter damnat.

Igitur quia memorati Græci nos irrationabiliter reprehendunt cur non jejunemus Sabbatis, et cur septem hebdomadibus non abstinemus ante Pascha a comestione ovorum et cæsei, et octo hebdomadibus ab edulio carniū, dignum videtur ut quæ juxta sunt ad satisfactionem respondeamus eis ad Casulanum presbyterum verba Augustini (*epist.* 36) : « Quod ergo me consulis, utrum liceat Sabbato jejunare, respondeo : Si nullo modo liceret, profecto quadraginta continuos dies nec Moyses nec Elias nec ipse Dominus jejunasset. Verum ista ratione concluditur etiam Dominico die non illicitum esse jejunium, et tamen quisquis hanc diem jejunio discernendam putaverit, sicut quidam jejunantes sabbatum observant, non parvo scandalo erit Ecclesiæ,

nec immerito ; in his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum certa documenta nulla veritatis insumet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis serenitatem charitatis obnubilet. » Et paulo post : « Nunc vero quis ferat per omnes Orientales et multos etiam Occidentales populos Christianos de tot tantisque famulis famulabusque Christi sabbato sobrie juste modesteque prandentibus, ab isto dici, quod in carne sint, et Deo placere non possint, et quod de illis sit scriptum : *Recedant iniqui a me, viam eorum nosse nolo*. » Et rursus : « Cum vero his opprobriis atque maledictis insectatur Ecclesiam per totum mundum fructificantem atque crescentem, die Sabbati pene ubique prandentem, admoneo ut quisquis est, ut sese cohibeat. » Ac deinceps : « Si ergo male facimus quando in Sabbato prandemus, nullo die Dominico bene vivimus, quod nefas est dici. » Et post pauca : « Lapidare Deum hominem jussit, qui sabbato ligna collegerat ; nusquam autem legimus lapidatum vel aliquo digno supplicio judicatum sive jejunantem Sabbato, sive prandentem. » Et in sequentibus : « Eo ipso sabbati die, quo Christi legimus manducasse discipulos, vulserunt utique spicas, quod Sabbato non licebat, quia contradictio veterum prohibebat. Videat igitur ne forte congruentius ei respondeatur, ideo Deum illo die a discipulis hæc duo fieri voluisse, unum de spicis velendis, alterum de alimentis sumendis, ut illico esset adversus eos qui sabbato volunt vacare. Hoc autem adversus eos, qui cogunt Sabbato jejunare, » et reliqua. Et iterum : « Nempe si tunc non erramus quando jejunamus, et aliorum sex dierum errores tunc abluimus cum Sabbato jejunamus, nullus erit Dominico die deterior, nullus Sabbato melior ; credo, dilectissime frater, nemo legem sicut iste intelligit, nisi qui non intelligit. » Sequitur : « Verumtamen in hujus Sabbati jejunio sive prandio, nihil mihi videtur tutius pacatiusque servari, quam ut *qui manducat, non manducatem non spernat ; et qui non manducat manducantem non judicet*, quia neque si non manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus egebimus. Custodita scilicet eorum inter quos vivimus et cum quibus Deo vivimus in his rebus inoffensa societate. Sicut enim quod ait Apostolus, si verum est malum esse homini, qui per offensionem manducat, ita malum est homini, qui per offensionem jejunat. Non itaque simus is similes qui, videntes Joannem non manducantem nec bibentem, dixerunt : *Dæmonium habet* ; sed nec rursus eis qui, videntes Christum manducatem et bibentem, dixerunt : *Ecce homo vorax et vinosus amicus publicanorum et peccatorum*. Unde quodcumque facinus, omnia in gloriam Dei faciamus, et quantum in nobis est sine offensione simus Judæis et Græcis et Ecclesiæ Dei. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus ; illæ autem observationes, quæ variæ celebrantur, in ejus veste intelliguntur, unde ibi dicitur : *In simbrisis auribus circumamicta varietate*. Sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur. » Et rursus : « Ego in evangelicis et apostolicis litteris totoque Instrumento, quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium ; quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat præcepto Domini vel apostolorum, non invenio definitum. Cur autem quarta et sexta feria aliquando maxime jejundet Ecclesia, illa ratio reddi videtur quod considerato Evangelio ipsa quarta sabbati consilium reperitur ad occidendum Dominum fecisse Judæi ; intermisso autem uno die, cujus vespera Dominus pascha cum discipulis manducavit, traditus est ea nocte, quæ jam ad sextam Sabbati pertinebit. Hæc

dies prima Azimorum fuit a vespera incipiens. Quapropter et ipsa sexta Sabbati recte deputatur jejuniis. Jejunia quippe humilitatem significant, ut *humiliabam jejuniis animam meam*. Sequitur Sabbatum, quo die caro Christi in monumento requievit. Sicut in primis operibus mundi requievit Deus illo die ab omnibus operibus suis. Hinc exorta est ista in regia illa veste varietas, ut alii sicut maxime populi Orientis propter requiei significantiam malunt relaxari jejuniis, alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana et nonnullæ Occidentis Ecclesiæ; quod quidem uno die, quo Pascha celebratur, propter renovandam rei gestæ memoriam, quia discipuli humaniter mortem Domini doluerunt, sic ab omnibus jejunatur, ut etiam illi Sabbati jejuniis devotissime celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbatis prandent, utrumque videlicet significantes, et in uno anniversario die luctum discipulorum, et cæteris Sabbatis quietis bonum. Nam venerandus Ambrosius, cum de hac causa interrogaretur, « Quid possum, inquit, hinc docere amplius quam ipse facio? Quando Mediolani sum, non jejuno Sabbato, quando Romæ sum, jejuno Sabbato, et ad quamcunque Ecclesiam veneritis, inquit, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis aut facere. Sed quomodo contingit ut in una Ecclesia vel unius regionis Ecclesiæ alios habent Sabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorumdem populorum congregatio regenda commissa est. »

Postremo, ut nil inexpletum remaneat unde in exorta quærela ratio titubare queat, monstrandum est quæ sint tempora jejunii a Christo ex lege et prophetis divinitus Christianis ad observandum sancta, ut in omnibus pro concordia omnes satisfactionem recte et legaliter habeant. Augustinus in libro primo ad quæstiones Januarii: « Quadragesima sane jejuniorum habet auctoritatem et in veteribus libris ex jejuniis Moysis et Eliæ et ex Evangelico, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire a lege et prophetis, inter quos in monte gloriosus apparuit, ut evidentius emeretur, quod de illo dicit Apostolus: *Testimonium habens a lege et prophetis*. In qua ergo parte anni congruentius observatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicæ passionis, quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, ut ab ipsius mundi amicitia jejunetur, quæ utique fallaciter blandiri et illecebrarum fucos circumspargere atque lactare non esse sat. Numero autem quadragenarius vitam istam propterea figurari arbitror, quia denarius, in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario, quia redit ad primum, ita in hoc mihi videtur exprimi, quia creatura, quæ septenario figuratur adhæret creatori, in quo declaratur unitas Trinitatis per universum mundum temporaliter annuntianda: qui mundus etiam a quatuor ventis delimitatur et a quatuor elementis erigitur, et quatuor annis temporum vicibus variatur. Decem autem quater in Quadragesima consumatur. Quadragenarius autem partibus suis computatus addit ipsum denarium et sunt quinquaginta, tanquam merces laboris et continentia. » Unde idem Augustinus in libro supra scripto: « Partes autem æquales habet quadragenarius numerus. Primo quadragesima in singulis, deinde viginti in binis, deinde decem in quaternis, octo in quinis, quinque in octonis, quatuor in denis, duos in vicenis. Unum ergo et duo et quatuor et quinque, et octo et decem, et viginti simul ducta efficiunt quinquaginta. Quapropter sicut quadragenarius numerus æqualibus suis partibus computatus pariter per denarium usque ad decem sit decalogus, et sic per decalogum usque ad quinquaginta, et sit quinquagenarius, sic tempus fidei rerum pro nostra salute gestarum et gerendarum cum æqualitate vitæ actum imperat, intellectum stabilis sapientiæ, ut non solum credendo sed etiam

A intelligendo disciplina firmetur. » Unde et inter alia beatus ait Gregorius (*homil. 16 in Evang.*): « Ab exordio etenim Quadragesimæ usque ad paschalis solemnitatis gaudia sed hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta et duo fiunt, ex quibus dum sex dies Domini abstinentia subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta sex dies remanent. Dum vero per trecentos et sexaginta quinque dies annus dicitur, nos per triginta sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus. » Typice ergo quadragesima et duos dies in Quadragesima habemus, quoniam tot mansiones filii Israel habuerunt, qui baptizati sunt in mari Rubro, quando exierunt de terra Ægypti, de dura servitute, et pervenerunt ad terram repromissionis: tot enim generationes sunt seriæ Christi cum hiethoxia bis computato et eodem Christo. Merito qui ad cælestem patriam tendunt eodem numero mansionum satagunt, quo filii Israel ad terram repromissionis venerunt; et merito qui ad Christum transeant per baptismum, eodem numero ad eum perveniunt, quo Christus ad nos venire dignatus est, sicut beatus Hieronymus ait in libro Mansionum filiorum Israel (*epist. ad Fabiolam*): « Nec mirum, sed in illo numero sacramenti perveniamus ad regna cælorum, sub quo Dominus atque salvator a primo patriarcha pervenit ad virginem quasi ad Jordanem quæ pleno gurgite fluens Spiritus sancti gratias redundabat. »

Igitur hoc quadragesimale jejuniis a Christo et sanctis apostolis nobis traditum regulariter tenemus, et cætera jejunia, quæ a Septuagesima et quatuor anni exsolvimus tempora sponte et humano arbitrio agimus, non auctoritate evangelica, vel apostolorum doctrina; unde eorum reprehensio nobis videtur frivola, qui nos redarguunt, cur septem hebdomadas a casei et ovorum non abstinemus carne ante Pascha. Siquidem ut non transgrediamur terminos quos posuerunt patres nostri, talem observantiam in hoc tenemus, qualem a sanctis doctoribus et sequi videmus et docere, ut convenienter totum corpus Ecclesiæ in una sibi met concordet observatione; de talibus enim ait Apostolus, qui extra morem ecclesiasticum judicare præsumunt, non enim amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum; et licet ipsi reprehensores non intelligant, novem hebdomadibus ante pascha exhibemus nostræ delectationis mortificationem, quarum hebdomadarum primam vocamus Septuagesimam secundum Sacramentarium et Antiphonarii titulationem, quæ inchoatur die Dominica, et in septima Sabbati finitur post Pascha; populi Dei tempus captivitatis significat qui in Babylonia detentus est captivus sub numero septuagenario. Unde Jeremias: *Perdam ex eis vocem gaudii et lætitiæ, et servient omnes gentes istæ regi Babyloniæ septuaginta annis*. Quapropter illo tempore *alleluia* non cantatur apud nos, et dulcissimus hymnus angelorum *Gloria in excelsis Deo*. *Alleluia* propter honorem et latitudinem primæ linguæ præclarus est Hieronymus in Isaiæ libro undecimo. Ad comparisonem enim linguæ Hebræicæ tam Græci quam Latini sermonis pauper est. Pauperem linguam in supradictis diebus frequentamus: *Laus tibi, Domine, rex æternæ gloriæ*. Dicit psalmus: *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Alleluia et Gloria in excelsis Deo* cantica cælestia sunt. Unde Joannes in Apocalypsi: *Post hæc audivi vocem magnam in cælo dicentem, Alleluia*. De *Gloria in excelsis Deo* nulli dubium quin angelorum cantus est: oportet enim nos sedentes id est humilitatos super flumina Babyloniæ fieri dum recordaremur Sion, et hæc Septuagesima nos ad quadragesimalem pugnam vitia fugiendo præparare. Dicit Apostolus ad Ephesios: *Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos*. De supradictis septuaginta annis dicit Augustinus in libro de *Doctrina Christiana* tertio:

« Possunt et septuaginta Jeremiæ pro universo tempore spiritualiter accipi, quod est apud alienos Ecclesia. » Et iterum idem in duodecimo libro contra Faustum : « Nam quod etiam post septuaginta annos secundum ejusdem Jeremiæ prophetiam reditur ex captivitate, et templum renovatur, quia fidelis Christianus non intelligat, post evoluta tempora, qui septenarii dierum numeri repetitione transcurrunt, etiam nobis, id est Ecclesiæ Dei, ad illam cœlestem Jerusalem ex hujus sæculi peregrinatione redeundum, per quem nisi per Jesum Christum vere sacerdotem magnum, cujus figuram gerebat ille Jesus sacerdos magnus illius temporis, quo templum Dei ædificatum est post captivitatem. » Sexaginta quippe dies sunt a septuagesima usque ad quartam feriam ante Cœnam Domini. Per hunc numerum viduæ, quæ in magna tribulatione sunt, designantur, quam tribulationem et afflictionem monstrat compositus digitorum, qui memoratum numerum exprimit indice supra posito pollice. Tres dies quæ supersunt usque ad resurrectionis Domini triduanum jejunium, quod secundum Septuaginta Interpretes Ninivite exercuerunt, designant, ut nostra peccata pro quibus affligimur in clarificatione resurrectionis Domini aboleantur, ut et mysticum septuagenarii tempus sit compassio captivorum, *quia si compatimur, et conregnabimus*. Sexagesima denique percurrit infra septuaginta ad quartam feriam habet convenientiam cum quarta ætate mundi, in qua David et Salomon regnaverunt. In quarta ætate gens illa cœlesti fide inclyta regno David et Salomonis gloriosa templi etiam sanctissimi altitudine totum nobilitatur in orbem. In nostra vero quarta feria triumphat David, qui vicit leonem, et Salomon æternus pacificus regnat, de quo dicit Apostolus : *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Templum ædificat nobilissimo Deo Patri, cui dicturus est in fine : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*.

Ad id regnum per Sexagesimam nos oportet currere; senarius enim numerus partibus suis computatus primus perfectus est, sexta unum tertia duo, medietas tres, unum enim et duo et tres sex faciunt. Hic numerus perfectionem demonstrat. Beda in libro de temporibus : Ubi notandum, quod non ideò senarius numerus perfectus est, quia Dominus in eo mundi operam perfecit; sed sicut Augustinus ait: Ideò Dominus, qui simul omnia creare volebat, in eo dignatus est operari, quia numerus est ille perfectus, senarius per denarium ductus sexaginta faciunt, denarius ad mercedem operum respicit. Si quis per senarium, id est perfectionem mercedem operum requirit, ipse recipiet regnum quod nobis promittitur in quarta feria Paschæ. A Sexagesima quippe usque ad sanctum diem resurrectionis octo hebdomadæ sunt, ex quibus si de singulis hebdomadibus primam et quintam feriam subtraxeris et ipsum tantum diem Paschæ, quadraginta tantum dies remanent in abstinentia. Hæc ergo dicimus propter illos qui solvunt jejunium in easdem ferias. Melitades namque natione Afer, vir per omnia apostolicus, tricesimus quartus post sanctum Petrum, cui successit beatus Sylvester in cathedra apostolicæ dignitatis, hic constituit ut nulla ratione in prima vel quinta feria jejunium quis fidelium agere præsumeret; nam cur in prima feria jejunium ipso tradente solvatur, non est necessitas texendo replicare. Quintam vero arbitrati sumus propter magna mysteria quæ in eo continentur, ab eo esse solutam, quia in ipsa sacrum chrisma conficitur ab abluendam totius mundi primæ originis culpam. In ipsa reconciliatio fit pœnitentium, in ipsa redemptor omnium cœnando cum discipulis panem fregit, et calicem pariter eis dedit in figura corporis et sanguinis sui, nobisque profuturum magnum exhibuit sacramentum, eo videlicet die post multa mysteria Deus et Dominus noster Jesus Christus discipulis suis videntibus glo-

riosa ascensione cœlos penetravit. Sed ne diutius sermo proteletur, de hac solemnitate plura scripta in sanctorum venerabilium scriptis agnoscimus. Denique in concilio Laudicense titulo quinquagesimo statutum est non debere jejunium solvi in quinta feria; sed quia unusquisque in suo sensu abundat, sive hoc, sive aliud sit, salva fide et religione nihil præjudicamus.

Quinquagesima denique primum diem venerabilis Paschæ tangit; sicut enim senarius perfectionem operum demonstrat, ita quinquagenarius omnia opera quæ perficiuntur per quinque sensus corporis. Quinquies enim decem quinquaginta fiunt. Si quis per exteriorem administrationem decem verba legis compleverit in Spiritu sancto, non dubitat ad consortium perveniendum esse beatæ resurrectionis, quæ celebratur in Pascha Domini. Religione vero crescente a Telesphoro pontifice, qui post Petrum principem apostolorum nonus in sancta Ecclesia claruit, hoc tempus in abstinentia dedicatum existit; et quo alio nomine rectius vocari, quam quinquagesima in ordine rationabiliter debuit? Ex hinc deinceps collecta ratione, qui octo hebdomadas observare studuerunt, Sexagesimam gradatim nominaverunt; similiter qui novem, Septuagesimam juxta post factam rationem novem imposuerunt, et non ob numerum hebdomadarum, vel dierum vel tenorem nominis servantes hæc nomina consueverunt, veluti secuti nunc fuissent qui decimam hebdomadam addere pro aliqua justa ratione voluissent, non propter numerum hebdomadarum decagesimam seu quolibet alio nomine, vel propter numerum dierum Septuagesimam, sed octagesimam ordine conservato vocabulorum recto tramite pergente nuncupare debuissent.

His itaque temporibus modum jejunii servamus a sanctis Patribus statutum, juxta quod ait per prophetam Dominus : *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi; dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos et omne onus dirumpe*, etc. Primi igitur mensis jejunium trium dierum quarta et sexta feria et Sabbato ideo etiam celebramus, quia in libro Exodi legitur dicente Domino ad Moysen: *Mense enim verni temporis egressus es de Ægypto. Ægyptus tenebræ interpretantur, sive hujus mundi vult errorem intelligi, in quo quoad quis versatur, in tenebris ignorantie vel etiam infidelitate manet. Abnegato autem diabolo ante baptismum et pompis ejus atque operibus ejus per confessionem veræ fidei atque per baptismum, egreditur unusquisque de Ægypto, idem de tenebris ignorantie et infidelitatis percepta remissione omnium criminum præteritorum pervenit ad veram lucem Christum Dominum Salvatorem, qui dixit: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ æternæ*. Ipsum quoque primi mensis jejunium Dominus aliorumque trium temporum per Zachariam prophetam præcipit dicens: *Jejunium primi*, hoc est... Junii, hebdomoda secunda, *jejunium septimi*, hoc est Septembris; hebdomoda tertia, *jejunium decimi* hebdomoda plena ante nativitatem Domini *erit vobis in solennitates præclaras*. Ipsumque jejunium primi mensis, ut supra diximus, trium dierum ideo antiqui Patres sanxerunt celebrandum propter confines dies quadragesimalis jejunii, ut his saltem diebus major congregatio fiat Christiani populi, ut in unum congregati ex conspectu mutuo de fide sancta invicem conferendo major charitas inter eos, et major oriatur lætitia vel etiam ex sancta collatione in vicem facta, unusquisque perfectionem sanctæ quadragesimæ observationis studium provocetur, et ut unusquisque ad sanctum pervenire mereatur Pascha. Porro jejunium quarti mensis quia et eodem tempore a pluribus XL dies jejunio mox Pentecosten celebratur, ideo remotim hic triduo generaliter omnibus indictum est jejunium, quia tunc in quibusdam locis Ecclesiæ mense primitiæ frugum terræ colliguntur.*

et hic mensis a quibusdam mensis *hordeariæ* dicitur, A  
co quod tunc hordeum jam tunc messuerant majores  
nostri, et panes primitiarum Domino offerre consue-  
verunt: *Observa mensem novarum frugum et celebra-  
bis dies festos Domino Deo tuo.* Quo tempore Dominus  
supplici prece orandus est, ut nobis fructum terræ  
usque ad maturitatem perducatur, et nobis cum gra-  
tiarum actione ad colligendum tribuat.

Quod vero memorati Græci nos reprehendunt cur  
nostris presbyteris prohibemus uxores accipere,  
respondemus quia terminos quos patres nostri po-  
suerunt, pertransire nolumus, sed juxta statuta  
sanctorum canonum munditiam animæ et corporis  
Deo serviendo servare gestimus. Unde in decretis  
papæ Siricii, titulo 12: *Feminas vero non esse alias  
putimur in domibus clericorum, nisi eas tantum  
quas proprias per solas necessitudinum causas habi-  
tare cum iisdem synodus Nicæna permisit.* Unde in  
concilio Nicæno, titulo 3: *Interdixit per omnia ma-  
gna synodus: Non episcopo, non presbytero, non  
diacono vel alicui omnino qui est in clero, licere  
subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem  
aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas  
quæ suspiciones effugiunt.* Unde in decretis papæ  
Leonis, titulo: *« Lex continentiae eadem est al-  
taris ministris atque presbyteris. Qui cum essent  
laici sive lectores, licite sibi uxores ducere et filios  
procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos gra-  
dus provenerint, cœpit eis non licere quod licuit, »*  
et cætera. Item ex decretis Innocentii, titulo 16:  
*« Propterea quod dignum et pudicum et honestum  
est tenere Ecclesia omnimodo debet, ut sacerdotes  
et Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia mini-  
sterii quotidiani necessitatibus occupantur; scriptum  
est enim: Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum  
Dominus Deus vester. Nam si Paulus ad Corinthios  
scribit dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis  
orationi, et hoc utique laicis præcepit, multo magis  
sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi iuge  
officium est semper, debent ab hujusmodi consortio  
abstinere. Qui si contaminatus fuerit carnali con-  
cupiscentia, quo pudore vel sacrificare usurpatur, aut  
qua conscientia quove merito exaudiri se credit,  
cum dictum sit: Omnia munda mundis; coinquinatis  
autem et infidelibus nihil est mandum; et apertius  
declamat dicens: Qui autem in carne sunt, Deo pla-  
cere non possunt; vos autem jam non estis in carne,  
sed in spiritu. »* Unde in concilio Carthaginense, ti-  
tulo 25, Aurelius episcopus dixit: *« Addimus, fratres  
charissimi, præterea de quorundam clericorum  
quamvis lectorum erga uxores proprias incontinentia  
refertur. Placuit, quod et diversis conciliis firmatum  
est, subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, et  
diaconi et presbyteri, sed etiam episcopi secundum  
priora statuta etiam ab uxoribus se contineant, ut  
tanquam non habentes videantur esse. Quod nisi fe-  
cerint, ab ecclesiastico removeantur officio. »* Item  
in Africano concilio, cap. 37: *« Præterea cum de  
quorundam clericorum quamvis (erga) uxores pro-  
prias incontinentia referretur: placuit episcopos,  
presbyteros et diaconos secundum priora statuta  
etiam ab uxoribus contineri. Quod nisi fecerint, ab  
ecclesiastico removeantur officio. »* Hinc in Neocæ-  
sarense concilio, titulo 1: *« Presbyter si uxorem  
acceperit, ab ordine deponatur; si vero fornicatus  
fuerit aut adulterium perpetraverit, amplius pelli  
debet, et ad pœnitentiam redigi. »* Hic unusquisque  
advertat, si in duorum vel trium testium stat omne  
verbum, quid possit aut debeat tantorum assertio  
sanctorum Patrum, qui multa plura de talibus scri-  
bunt.

Præterea quia memorati Græci falso conantur  
reprehendere quod presbyteri apud nos chrisma li-

niunt frontes baptizatorum, quod chrisma ex aqua  
fluminis apud nos confici dicunt, dignum videtur ut  
veridice illis respondeatur. Nunquam enim apud nos  
presbyteri hoc agere præsumpserunt, sed ex pingue-  
dine Kilobalsami et olivæ, quam Deus de viridiligno  
dignatus est producere, unde sanctificando unxit  
sacerdotes, reges, prophetas et martyres, nostri  
episcopi sacrandò exorant a Patre et Filio ac Spiritu  
sancto certo tempore sanctificari, ut ex oleo lætitiæ.  
Unde Christus exstitit unctus præconsortibus suis,  
a cujus sancto nomine chrisma accipit nomen, om-  
nibus qui renati sunt ex aqua et Spiritu sancto sit  
chrisma salutis, eosque vitæ æternæ participes et  
cœlestis gloriæ Deus faciat esse consortes.

Quod vero jam dicti Græci falso fatentur, apud  
nos ante de diaconis episcopos quam presbyteros  
ordinari velut quodam saltu, firmiter respondemus,  
pene nos hoc nunquam accidisse, sed ordinem et  
modum consecrationis in omni ordine servari cano-  
nice, quod illi solent transgredi absque ulla neces-  
sitate. Nuper etenim, ut fertur, de quodam laico  
tonsuratum monachum statuerunt, ac sine dilatione  
ad archiepiscopalem ordinem contra omnia decreta  
promoverunt. Unde in Sardicensi concilio, cap. 13,  
Osius episcopus dixit: *« Et hoc necessarium arbitror  
ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut  
scholasticus de foro aut ex ministratore episcopus  
fuerit postulatus.... perfunctus, et ita per singulos  
gradus si dignus fuerit ascendat ad culmen episco-  
patus. Potest enim per has promotiones, quæ habe-  
bunt utique prolixum tempus, probare qua fide sit,  
qua modestia, qua gravitate et verecundia, et si  
dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur,  
quia conveniens non est, nec ratio nec disciplina  
patitur, ut temere et leviter ordinetur aut episcopus  
aut presbyter aut diaconus, qui neophytus est,  
maxime cum et magister gentium beatus Apostolus  
ne hoc fieret denuntiasse et prohibuisse videatur,  
sed hi, quorum per longum tempus examinata sit  
vita et merita fuerint comprobata ex hoc plura sunt  
exempla. »*

Quod vero cum corpore et sanguine Christi nos  
more Judæorum prædicti Græci aiunt in Pascha  
agnum offerre, nunquam ullus nostrum hoc valuit  
aut voluit excogitare.

De hoc quod reprehendunt cur barbas nostri cle-  
rici radunt, respondemus, cum beato Hieronymo,  
quia si sanctitas est in barba, nullus sanctior est  
hirco. Hæc igitur contra Græcorum hæresim et il-  
lorum frivolum reprehensionem nos in credulitate  
scilicet nostra reprehendentes et in cæteris causis,  
quæ plus ridiculosa sunt quam sapientiæ intellectui  
ponenda construximus. Nunc inferius fidem nos-  
tram, quam firmiter tenemus confiteri, nec non  
omnibus generaliter pandere curavimus.

*Sequitur professio fidei quæ habetur in collectionibus  
conciliorum.*

D Tum: *« Hæc est professio fidei episcoporum apud  
Wormatiensem civitatem xvii Kal. Jun. in synodali  
conventu consistentium, quorum nomina sunt: Ada-  
lwinus archiepiscopus, Liutbus archiepiscopus,  
Rimbtus archiepiscopus; Anno episcopus, SALOMON  
episcopus, Gunzo episcopus, Arno episcopus, Witga-  
rius episcopus, Luitbus episcopus, Ambrico epi-  
scopus, Otgarius episcopus, Gebehardus episcopus,  
Ratolfus episcopus, Ermricus episcopus, Hessi epi-  
scopus, Hildegimus episcopus, Theodricus episco-  
pus, Egibertus episcopus, Erolfus episcopus, Luit-  
hardus episcopus, Lantfridus episcopus, Theoto  
abbas, Adalgarius abbas, Herro abbas, Brunwardus  
abbas, Aschericus abbas, Theotocus abbas, Egil-  
bertus abbas. »*